

III.  
NEOVIDENSIS

Nro. 66. (Neovidensis 1807. Nro. 63.)

---

*Secretum litterarum commercium vivos inter  
ac mortuos.*

Epistola Familiaris  
Ad quemdam natione Germanum — jux-  
ta Lethen amnem.

*Ex mundo superiore.*

---

\*Elysium-Meum. — Die Martis 18. Augusti 1807. (Neovid 31. Julii.)

---

**I**n sinu gaudes dilecte, candide, germane  
Amice! tandem aliquando te, superatis exant-  
latisque tam duris, amarisque germanicae vi-  
tae aerumnis, ad vacuam curis Lethen, obli-  
vionis undas, adpulisse; quas procul dubio,  
comitibus multis tuorum gentilium Manibus,  
ut Mantuanus vates canit, pererrabis, ejus  
gustare aquas detrectans, verum, macte pru-  
dentia, corpus fervente hoc aestu, amni huic  
credito, labiis admoveto aquas, sapidiores  
illae, mihi crede, sunt Carolinis, Schwal-  
bachensibus, Selzensibus, ac quibusvis acidu-  
lis, aut fontibus salutaribus, exitialibusque no-  
stris, ut miseriarum vitae ocius citius, quo  
potest, obliviscare.

*Conclusio Pacis cum Borussiae Rege vide Nro 64.*

27. Ad diem permutationis Ratificationum futuri finalis Tractatus pacis, omnes provinciae sub imperio S. M. Regis Borussiae constitutae, non excepta navigatione et commercio, Anglis occludentur. Nulla expeditio mercium ex Portibus Prussicis in Insulas Britannicas suscipietur, neque ulla ex Anglia, aut ejusdem Coloniae veniens admittetur.

28. Extemplo conventio adornabitur ad omnia negotia ad liquidum perducenda, quod ad normam, et tempus tradendi ea loca, quae S. M. Regi Borussiae restituentur; quaeque negotia Civilis et militaris administrationis in traditis pariter provinciis, attinet.

29. Bello capti ex utraque parte, absque permutatione, et in massa utprimum poterit, restituentur.

30. Praesens Conventio a S. M. Imp. Gallorum et Rege Italiae, et a S. M. Rege Borussiae ratificabitur; ratificationesque Regiomonti intra sextiduum a tempore subscriptionis, aut si potest, etiam citius, permutabuntur. Actum et subscriptum Tilsit die 9. Julii 1807.

(L. S.) *Subscr. Maurit. Talleyrand*, Princeps Benevent, (L. S.) *Subscr. Campi Mareschallus C. a Kalkreuth*. (L. S.) *Subscr. Aug. a Golcz.* Rectificationes praesentis Tractatus permutatae sunt Regiomonti 12. Julii 1807.

---

III.  
NEOVIDENSIS

Nro. 66. (Neovidensis 1807. Nro. 63.)

---

*Secretum litterarum commercium vivos inter  
ac mortuos.*

Epistola Familiaris  
Ad quemdam natione Germanum — jux-  
ta Lethen amnem.

*Ex mundo superiore.*

---

Elysium-Meum. — Die Martis 18. Augusti 1807. (Neovid 31. Iulii.)

---

**I**n sinu gaudes dilecte, candide, germane  
Amice! tandem aliquando te, superatis exant-  
latisque tam duris, amarisque germanicae vi-  
tae aerumnis, ad vacuum curis Lethen, obli-  
vionis undas, adpulisse; quas procul dubio,  
comitibus multis tuorum gentilium Manibus,  
ut Mantuanus vates canit, pererrabis, ejus  
gustare aquas detrectans, verum, macte pru-  
dentia, corpus fervente hoc aestu, amni huic  
credito, labiis admoveto aquas, sapidiores  
illae, mihi crede, sunt Carolinis, Schwal-  
bachensibus, Selzensibus, ac quibusvis acidu-  
lis, aut fontibus salutaribus, exitialibusque no-  
stris, ut miseriarum vitae ocius citius, quo  
potest, obliviscare.

Animula! revolutionis, aciei Marengensis, Austerlizensis, Jenensis, Eylaviensis, Friedlandicae obliviscere; Vestphalicae, Basileensis et aliarum Pacificationum non reminiscere; nec quidquam porro de Coalitionibus, dislocationibus, concordiiis, et discordiis, copiarum ductibus et reductibus, politicis et pseudo politicis consolationibus, et sexcentis id genus aliis machiavellisticis, et antimachiavellisticis artibus, et subtilitatibus nihil posthac tenebis amplius; omnia sopor aeternus habebit, ipsa plane *Falerni* 83 annorum, cujus nomen solum perennat, sed et hujus memoria oboliterabitur. Dura, non inficior, et acerba hujus oblivio potus, nectari supparis; at at, si animo humanae expenderis vitae miserias; si multiplices, quibus ea circumdatur, percurreris calamitates, ipsius Nectaris ultro oblivisceris, quod eae voluptatem, qua perfruimur, longe superent. Lethe amnis magnum defunctis solatium praestat! ergo sciphum animose ad labia!

Cunctaris? aquas salutare oblivionis gustare renuis? reminiscendae natalis tuae commemorationis, dulcium amicorum, familiariumque tuorum, dicere vale moraris? aerumnas solum potando mente ejicere, voluptatum, quibus in mundo sublunari fruebare, memoriam retinere desideras? probo, ut verum dicam, consilium tuum — Novus seclorum mortalibus panditur ordo; prorsus que magnifica in aevum his portendit; haec indicia hisce

paginis credere placet, ut nobiscum prius gratuleris, quam fatalibus undis labia admoveris.

Primum, et ante omnia scire te velim, almam nobis pacem illuxisse! pax haec Chronopolitanae pacis nomine insignitur; Galliam inter et Russiam, amplissima Europae imperia, amicitia coaluit; Rex solum Sveciae bellum adhuc prosequitur, qui tamen etiam paullopost adjunctis se rerum accommodaturus est; — Aliud multo difficilius bellum — cum Anglia adhuc durat; verum *Hamburgo de 29. Julii* nuncii cursores, qui provocationem Russiae factam Angliae continent; ut universali paci subscribat, 27. Julii Tonninga Londinum, medio navis nunciae jam expediti sunt. Quid Anglos ad haec dicturos censes? an quaestionem acceptaturos, an repulsam daturus, existimas? nodus hic brevi post tempore solvetur.

Alterum, quod non possum non tibi memorare, est: Germaniam novam Formam adeptam esse; Nostri olim a Pace Vestphalica Principes, Comites, Episcopi, Equites, imo et Religiosi, apud quos saepenumero egeni famelici refugium invenerunt, desierunt, oblivioni mancipantur, quin Letha degustassent; novum foedus, quod Rhenanum audit, ruderibus Vestphalicae Aedis superstruitur, nova politica Jura, novae supremae potestates, novi principes, novi reges prodierunt. Episcopi post primum instituentur, quam omnia rationibus novi faederis accommodata fuerint.

*Tertium*; quanta coeli hoc anno benignitas! quarumvis rerum ubertas, et fertilitas maxima, spem omnem superavit; Foenum, fructus, vernaes et autumnales segetes, et *Vinum!* calidis imbribus succedit coctor Augustus; cui consilium esse dicitur: Anno 1803 in exeoquentis botrorum succis palmam praeripiendi. Ergo pax, ergo novus Statuum ordo, rerumque affluentia annum hunc nobilem reddet. Cornucopia humanae, terrestrisque felicitatis in nos terricolae effunditur: postquam diu multumque atroci Bellona vexati ingenuissemus, jam placidior Phoebus ridet, nos solatur, aerumnis animos soluturus nostros, at at caveamus vinum infernali oblivionis limpha miscere, memores accepti beneficii; grates tibi magnae Deus! audi supplices ad sidera palmas tendentes; sata, vineaeque loquuntur bonitatem, beneficentiamque tuam, et precantium voces gratum piisque nostrum animum testantur.

Sed prius quam dilecte Germane, amice! Lethen attingas labiis, quaedam adhuc Politica delibare te velim; en nuncium *Parisiis* de Pridie Calendis Quinct:

„Nudius tertius hora 8va matutina Suae Majestati Imperatori, et Regi in conspectum adducebatur Consilium Status in societate Principum, Cardinalium, Ministrorum, Archi Officialium Imperii, et aulae; qua acroasi peracta, S. M. concilium celebravit, cui ministri intererant. Circiter II. Senatus, pro recepto more, per Magistrum Ceremoniarum, et ejus

Collegas ad cubile S. M. inducebatur, perque Imperii Principem Cancellarium adducebatur; Princeps Senatus *D. Lacapède* oratione praëibat, postmodum simili prorsus ratione Collegium Tribunalorum, Praeses, Quaestoresque Collegii ferendis legibus, Tribunal Cassationis, Apellationis, Clerus Parisiensis, Tribunal Criminale, Consilium manubiarum, Municipiorum, militare Urbis Collegium, praesentabantur. S. M. benevole vota, precesque diversorum horum Collegiorum excipiebat, diuturnoque cum iis colloquio indulgebat. (Excerpt. e Monitore.)

Mareschallus *Brune* ex principe Castrorum sede significat: *Demmino* de 14. h. m. Generales Duces *Molitor* et *Boudet* cum suis agminibus, annum *Peenam* ad oppidum *Dammgarten* et *Tubbesees* trajecisse, et *Stralsundam* pertigisse; Bellidux *Grand Jean Anklamo* ultra progressus est. Sveci nonnihil resistere volebant, verum strenue rejecti; *Stralsunda* obsidione tenetur; res poliorcetica exspectatur, ad Principem hunc, Anglis foederatum, depellendum.

*Dresda* de 22. *Julii*. Novus Ducatus *Varsaviensis* exsurgit ex:

Imo *Integra*, quae ad praesens fuit, *Prussia australi*, inclusa *Silesia nova*.

2do Ex nova *Prussia orientali* excepta illa parte, quae per lineam *Induciis stipulatam*, et ab urbe *Grodno* per *Lipek*, et *Goni-*

ondz juxta amnem Biebrzam, et Narev, procurrentem lineam defecta, et Russico Imperio cessa est.

3tio Districtu Netzensi, et illa parte Prussiae occidentalis, quae versus austrum lineam efficit, quae Schneidemùlla per Cronam Graudenzam ducetur; Episcopatus Ermelandiae, totusque boream versus a linea situs Districtus, ad census nominatis tribus urbibus relinquitur Regi Borussiae.

Vistulam ocludere cautum est. Inter Saxoniam Poloniamque libera per Krossenam ducta militaris Communicatio locum habebit; fortassis in liberam Commerciale[m] viam convertenda.

Mancipatus penitus abrogatur.

Officia quaevis militaria, et politica ad infimos usque gradus, ex natione Polonica constabunt, in cujus etiam idiomate negotia omnia tractabuntur.

Potestas legislatoria constat ex LX. Deputatis provincialibus Nobilium, et 30 — 40 municipiorum; 6 Episcopis, 16 Senatoribus, quorum numerus ad 30 elevari potest. Hoc Collegium quotannis congregabitur, quod in *Curiam Deputatorum* et *Senatorum* dispescitur; ad Comitiam, 15. dierum spatio definita, ferendarum, proponendarum, confirmandarum aut mutandarum Legum causa: per quae legalem auctoritatem, Jurisque vigorem Leges conse-

quantur; usque ad nova celebranda Comititia. Quaevis novae propositiones in Curia primum Deputatorum provincialium collatis suffragiis decernuntur, tum Curiae Senatorum, quae Jure intercedendi vetandique pollet, pro confirmatione substernuntur. Regi Decreta Comitiorum alterare integrum haud est. Rex Provinciae Pro-Regem praeficiet, qui Senatui praesidebit; Episcopos denominandi, senatores creandi, et V. Virorum Collegii Ministros constituendi Jure, Rex gaudet. Deputati provinciales a Statibus eliguntur.

Exercitus 30 millia complectetur, Regis arbitrio relictum, Copiarum partem in Saxoniam transferre; verum in vicem transpositi ex Varsoviensi Ducatu militis Saxoniam, in eadem quantitate, militiam in Poloniam transponendi obligationem habebit; Delectui militari ad complendum exercitum mox, at absque mora initium dabitur; quorumvis fortalitorum, queis struendis manus jam reipsa admota: absque interruptione, erectio et communitio continuabitur, et ad exitum perfectionemque perducetur; Regi a Statibus certa et definita Summa pecuniaria annuis vicibus dependetur, quae quanta futura sit, nondum ad liquidum perducitur, sed actutum Tractatus argumentum est; ad praesens, Status tres miliones Polonicorum Florenorum obtulerunt.

## B I O G R A P H I A :

*Lethe* - Fluvius oblivionis apud Inferos; Antiquissima fabulosa Historia, ejus non meminit. Aliqui Philosophi, quos inter Pythagoraei, ejus crant opinionis: Animas solutas Corporeis vinculis in Campos tractas Elysios, post mille annos in nova Corpora migrare; prius tamen Lethes aquas degustandum eis, quam novum Corpus subeant; quo in eum statim deducuntur: ut prioris vitae, et mortis obliviscantur. Auctore Virgilio Poeta, defunctae vita Animae instar apum Lethen obibant, et ambiebant.

---

In eadem hac Officina Belnayana sequentes praeter complures alios, libri venales prostant:

Svastics (Csétsényi Ignácz Magyarok' Históriaja, III T. maj. 8. 1805. 5 fl.

Hertzeg Piripionak tündér története, Wiedland után írta Magyar Földijeinek mulattatására Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36. xr.

Theophron, vagy a' tapasztalt Tanátsadó a' tapasztalatlan Ifjúság haszára. 1804. in 8. 1 fl. 45. xr. Posta papirosra 3 fl. Fényes papirosra 6 fl. 40 kr.

---